



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Sanctos non sentire, si cadauera eorum malè tractentur, quæ ipsi viua mortificârunt, immò tormentis tyrannorum obiecerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

ibi erit fletus, & stridor dentium. Iaceant hinc corpora Sanctorum, cum cadaueribus impiorum; immò in vno tumulo ossa eorum confundantur, erit tamen aliquando tempus discriminis faciendi. Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur, *Matth. 24. 40.*
 due molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur; immò, *Luc. 17. 34.*
 erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur. In terra caro putrescit, ossa mortuorum nihil sentiunt, neque animæ tantò peius habent in cælo, si earum corpora in terris vel nullo, vel ignobili loco sepeliantur. Quod ipsum respondet D. Augustinus, cum ait: *Quando ista cadaueribus Christianorum in illa magna urbis, vel aliorum oppidorum vastatione defuerunt, nec viuorum culpa est, qui non potuerunt ista præbere, nec pœna mortuorum, qui non possunt ista sentire.* *S. Augustin. lib. 1. de ciuit. cap. 13.*

Hinc altera exurgit causa. Si enim, etsi sepultura sit aliquid, tamen, vt suprâ meminimus, Philosophi adeò non magni æstimârunt eius iacturam, vt eam etiam contemnere negligereque viderentur, quantò magis Sancti Dei poterunt æquanimiter tolerare, si eorum corpora iam nihil sententia doloris abijciantur, quæ ipsi, dum viuerent, spontè omnibus molestijs affecerunt? De Philosophis Seneca ita scribit: *Philosophus è corpore modò aquo animo exit, modò magno profilit, nec quis deinde reliquijs eius futurus sit exitus, querit. Sed vt ex barba capillos detonsos negligimus, ita ille diuinus animus egressurus hominẽ, quò receptaculum suum conferatur ignis illud exurat, an fera distrahant, an terra contegat, non magis ad se iudicat pertinere, quàm secundas ad editum infantem. Virum projectum aues differant, an consumatur* *Senec. ep. 92.*

Canibus data prada marinis;

Quid ad illum? Qui tunc quoque, cum inter homines est, nullas minas timet, vllasne timebit, post mortem minas eorum, quibus vsque ad mortem timere parum est? Non conteret, inquit, me, nec uncus, nec projecti ad contumeliam cadaueris laceratio, fœda visuris. Neminem de supremo officio rogo. Nulli reliquias meas commendo. Ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem scuitia projecit, dies condet. Altior via & Philosophia est Christianorum, quorum non pauci, immò ingens multitudo, dum viueret, carcerum, *fœtores,*

foetores, angustias vinculorum, horribiles lanienas patientissime toleravit; neque his cruciatibus contenta, etiam insuper corpus suum cilicijs, flagris, jeunijs afflixit, castigavitq;: quis ambigat, eam non etiam post mortem, cum nullus amplius in membris eorum dolor est, libenter passuram, si ossa & caro jam mortua, pro Christo, aliquid patientur, & nescio quò proijciantur? In hunc sensum rursus ait S. Doctor: *Si ea, qua sustentandus viventibus sunt necessaria, sicut victus & amictus, quamvis cum gravi afflictione desint, non frangunt in bonis perferendi tolerandiq; virtutem, nec eradicant ex animo pietatem, sed exercitatem faciunt fecundiorē: quanto magis cum desunt ea, qua curandis funeribus condendisq; corporibus defunctorum adhiberi solent, non efficiunt miseros in occultis piorum sedibus jam quietos?*

IX.

Atque hic tertia causa se offert, ipsa piorum Sanctorumq; humilitas & modestia, quæ sponte expetit viles & ignobiles sepulturas. Ribadeneiram audi de S. Ignatio Loiola, ita loquentem: *Mihi aliquando dixit, illud sibi à DEO petendum esse, ut eius ipsius mortui cadauer volucris, & feris laniandum abiceretur. Nā cum ego, inquit, sterquilinum, & detestabilis omnino sim, quid aliud meis criminibus dignum expetam?* Hæc Societatis IESU author dixit, & sensit. Cui exemplo præiit S. Gregorius Turonensis, qui, ut consuetam sibi humilitatem servaret etiam in sepultura, in eiusmodi se loco iussit sepeliri, in quo omnium semper pedibus conculcicaretur, & ipsa loci constitutio obstaret, ne vniquam in aliqua reuerentia haberi posset. Quod quidem factum est, uti petiuit. Verum optimus S. Martini populus non diu passus est, ut tantus domini Divique sui amicus, vestigijs intrantium premeretur. Quare inde eum sustulit, atq; in edito loco, Mausolæoq; insigni addito, eum collocavit. Nimirum, *Qui se humiliaverit, exaltabitur*, & hæc est via Sancti, *Antequam glorificetur humiliatur*. Atque hæc est quarta causa, ob quam vilior præcedit tumulus in nonnullis Sanctis, ut honoratior sequatur. Onesili Regis Cypri caput in ludibrium Amathusij supra portam urbis suspenderant: in id examen apum mella congescit, fauisq; referfit. Hinc loci incolæ oraculo moniti caput honorificè sepelierunt, Onesiloque quotannis, ut Heroi, sacra instituerunt.

S. Augustin.
loc. cit.

Petr. Ribadeneir. lib. 5.
vit. S. Ign.
cap. 3.

Sur. tom. 6.
17 Nouembr.
in vit. eius.
cap. 23.

Marth. 23. 12.
Prou. 18. 32.

Pier. Valer.
lib. 26. cap. 3.